SERENISSIMI UTRIUSQUE SICILIAE
REGALIS PRINCIPIS

PHILIPPI BORBONII

CAROLI REGIS NOSTRI FILII

GENETHLIACUM

Quo festivæ apparationes & spectacula

Ob ejus auspicatissimum Ortum

NEAPOLI EDITA

DESCRIBUNTUR



FELIX CAROLUS MUSCA
Excudit Neap. An. MDCCXXXXVIII

24. 12

PRINCIPIBVS NOSTRIS INDVLGENTISSIMIS
CAROLO BORBONIO
NEAPOLIS ET SICILIAE REGI
FELICI AVGVSTO TRIVMPHATORI
ET MARIAE AMALIAE VALBVRGAE
REGINAE PIENTISSIMAE
PRO FAVSTO
SERENISSIMI IPSORVM FILII ORTV
PHILIPPI VTRIVSQVE SICILIAE PRINCIPIS
CVLTIORVM ARTIVM ET SCIENTIARVM
BONO PVBLICO NATI
GENETHLIACVM CARMEN
IOANNES ANTONIVS SERGIVS
QVOD VNVM
IN IACENTE FORTVNA POTEST
DICAT DEDICATQVE



NDE improvisa demissum lumen ab astris
Promicat, & facto terras fulgore serenat?
Quæ nova lætitiæ rapiunt spectacula mentem?
LILIUM odore fragrans oritur quod germine primo
Sebethi ad ripas? Nosco surgentia Floris
Et decora & lucem. Genus alto e sanguine Regum
Nasceris, alme PUER: tua candida fronte renidet,
Quæ geminæ Hesperiæ victricibus emicat oris.
Dum canere incipio cœptis felicibus Ortum
Ipse tuum, terrarum hosti, qui blanda precanti
Gaudia dat Patriæ, Aonias penetrare recessus
Abnuo. Pegasides Musæ, sacra Numina Pindi,
Este procul: fragili crines mihi nectere lauro
Haud opus: haud carpam Pimpleo in margine flores.
Aurea BORBONIDUM rutilant quæ stemmate ab ipso
LILIA, festivis cingant mea tempora sertis.

Tuque ades, & vatum, Phœbi Numinis instar,
Blande PUER, votis jam nunc assuesce vocari.
Luminibus nostris patet en domus ardua olympi.
En cælum! en tellus ceu punctum nostra recedit!
En pedibus nubes & rauca tonitrua calco!
Concentum excipio, divo quem concita motu
Astra cient, numerisque refert vocalibus æther.
Volvuntur circum stellarum lumina, soles
Tot veluti, soles forsan, quibus atque refulgent
Terrarum facies, quas noster non notat orbis.
Tot segete undanti non pubent gramina, nec tot
Aut gemmis aurove nitent vaga flumina Gangis,
Sidera quot puris tremere ignibus adspiciuntur.
Heroum complent animæ cælestia signa,
Eduxit fervens quos jam super æthera virtus:
Namque viam virtus aperit, nam gloria ad astra
Pandit iter, vita mortali compede fracta.
Has cœli & sedes recolunt, quos mittit ab alta
Heroas terris SAPIENTIA prima creatrix.
Sublimis solio veluti Regina decoro,
Diva præest astris, haud ulli obnoxia fato.
Qui nitor & species! quantum decus eminet! ore
Ma-

Majestas & Amor firmato fœdere regnant.
Hac altus rerum series, causæque, vicesque
Æterno regit imperio: nil prodit in auras
Hac sine, nil terris pulchrum nec amabile quidquam est.
Huic maria, huic tellus, rerumque obtemperat ordo:
Parus Amor torquens generosa spicula dextra,
Aligerûmque immensæ acies plaudentibus alis,
Virtutesque omnes Divam venerantur ovantes.
Ergo ubi vitales nexus e pectore solvit
Funere mors QUINTUM, *rapiens inopino* PHILIPPUM;
Qui belli pacisque decus, qui Palladis artes
Restituit, gemini moles cui paruit orbis;
Indignans terras, pallentia flumina Lethes
Diffugiens, superas victor concessit in oras:
Protinus occurrunt fremitu plausuque secundo
Flos veterum virtusque Virûm, Grajique, Latinique,
Hispani, atque Itali, Gallorum & gentibus orti.
Haud vero Heroes hic omnes numine certo
Fas signare mihi: immensa sub pondere laudum
Mens labat, imbelles desunt in carmine vires.
Quis tamen est Heros, majori sidere lucem
Qui vibrat, atque oculos rapido fulgore coercet?

En DECIMUS QUARTUS LODOIX : sua tempora nosca :
Pacis oliva comas, bellorum laurus inumbrat :
Ingenium Regno majus : communiit, auxit
Legibus atque armis : mores formavit & artes :
Ardentem bello Europam armorumque tumultu
Composuit fractam, nutu disjecit & hostes.
Hic convexa poli cernens superesse Nepotem,
Lætitia abreptus, dulci sic fatur amore :
Hæc tandem, alme Nepos, Rex magne atque inclyte, fausto
Omine succedas : subjectis vivere terris,
Vivere sic liceat populis : te nulla silebunt
Sæcula, dum fluctu circumfluet Amphitrite.
Te decus Hesperiæ, dubio te fortia bello
Pectora, teque orbis geminus mox desiet ademtum.
Mærentes feretrum circum litoraque cubaque
Murmura rauca cient, & lucisonos ululatus :
In mare prorumpit turbato flumine Iberus;
Et longe Oceanus famulantibus infremit undis.
Asi nunc, rumpe moras, accede micantibus astris;
Unde nova fulgore nitens tua vivida virtus,
Effundes radios mortis fatique superstes.

Desierat; Divæ supplex cum talia reddit
Hesperiam EUROPÆ GENIUS *miseratus utramque:*
Nata Deo, cæli splendor, SAPIENTIA, *summo*
Cujus ab arbitrio terræ, & maria alta quiescunt,
Ætherii quæ, Diva, poli vaga lumina torques;
Sublato e terris rutilantia ad astra PHILIPPO,
Consulet afflictis rebus quis missus olympo
Heros? qui ingentem potis est fulcire ruinam?
Ergo age, dia Parcas, Heroem suffice: surgunt
BORBONIÆ *stirpi nova germina: vota precesque*
Excipias: fac certa, precor: te pendet ab una
Orbis firma salus, nitor & Fidei incrementum.
Hæc ille, at faustas voces sic Diva resolvit:
Parce metu, atque animo mœrorem discute ab imo;
Nam quæ te stimulat, fervens quæ pectora mordet
Cura? quid infandum metuis? Vivacia florent
LILIA BORBONIDUM: *almus odor late undique spirat.*
En QUINTUS DECIMUS LODOIX, *en gloria sceptri,*
Quo regnante, comas præcingit Sequana lauro:
Tutamen, columen, Regemque hunc Gallia jactat.
Hispanas oras pulcherrima Patris imago
FERNANDUS *decorat, bellorum pacis & Heros.*

At

At qui Parthenopes splendet per litora, nostros
Exhilaretque oculos radiis? Rex CAROLUS hic est;
Quem Pietas, Mavors, sequitur quem candida Pallas:
Ingens hic animo, mente hic insignis & armis,
Virtutem & pulchras artes sub signa vocavit,
Exertus mediis tenebris, veluti æthereus sol.
Ille sub hæc infit: Mihi jussa capessere fas est,
O Dea, sed facilis votis allabere nostris;
Atque novo Europa spem lætam germine fundes.
LILIA succrescant, precor o, de stipite odoro:
Ah! Flore avulso, ne desit protinus alter.
Jampridem hoc optat circumdare tempora Flore
Parthenope; voti impatiens cælum omne fatigat.
Trinacris hoc optat sibi nectere Flore corollas:
Quid moror? Hesperiæ spes bina affulget utrique.
BORBONII Heroes tum sunt per vota precati:
Plauserunt umbræque sacræ manesque PHILIPPI;
Assensere omnes, Superûm domus alta resultat.
Naturæ o genitrix SAPIENTIA, numine cujus
Tempora venturis coeunt præsentia rebus,
Si potis es precibus, nostra si voce moveri,
Verte stellis aciem; subjectum conspice litus;

Quæ

Qua levis caboico fertur Sebethus ab antro,
Quaque Arethusa suas commiscet fluctibus undas,
Europaeque omnis litus Genitoribus optat
Dignum BORBONIIS germen: florentibus adsis
Ah, Populis; mitisque preces, age, pignore firma.
BORBONIA de Prole agitur, quo cardine nixum est
Europa Fideique jubar; qua vertitur una
Rerum summa: metu tot gentes eximat ortu.
Desierant tandem, cum motu est Diva, resolvens
Vocibus his arcana animi: Quae poscitis omnes
Sint rata; jamque novus nascatur stirpe PHILIPPUS:
Nomen Avi referat, fortunam atque inclyta gesta.
Tum jubet, ut nitido descendat protinus axe
Spiritus Herois, qui dudum sidere ab alto
Fulgebat: mora nulla: en Divae jussa capessit,
Corpus ut informet, vigeat quo sanguine in uno
Parthenopes Regum virtutis vena decusque;
Qualis tela Jovis linquens fulmenque trisulcum,
Alituum Regina volat per inania pennis,
Et zephyros nebulosque praeit levis, & secat altum.
Ilicet arcanos sensit sub pectore motus
VALBURGA, optatoque animo viscera partu.

Haec

Hanc Heroinis e tot sibi legerat unam
AUGUSTI Regis, restuit qua Vistula, Natam,
Imbellem sexum vincentem mente virili,
In sceptri sociam, solisque ingentis honorem
CAROLUS, ut Regnum felici prole bearet.
Et bene processit: tulit hac nam lucis in auras
Egregias forma vultuque animisque PUELLAS.
Ast bina, heu pietas! primaevo in limine, fatis
Occubuere suis, veluti procumbit humi flos;
Sideribusque micant, qua se via lactea pandit:
Tres vero exhilarant vel primis moribus Aulam.
Sed nostris deerat jam votis Regius Infans:
Hinc lacrimae; hinc curis mentes animique flagrabant.
Ergo ubi fama tulit, compleri pondere foetus
VALBURGAM, ecce iterum Nati spes candida fulsit.
Tum quas Parthenope cumulavit sidera votis,
Quotque Arethusa, recens vitales carperet auras
Ut PUER: hac populis spes, hac vox omnibus una.
Et jam nona suum Phoebe compleverat orbem,
Cum nox affulsit, veluti lux aurea, obortis
Undique late astris diffusa; optatus & INFANS
Prodiit ex utero magnae Genitricis, in almas

Par-

Parthenopes. Atros oculi, os igneu vultus,
Blandaque majeſtas puerili fulget in ore.
Vos immixta roſis pinxiſtis, lilia, frontem:
Ingenuo, Charites, finxiſtis membra decore:
Vos teneros artus, veſtræque, o Numina, motus
Compoſuere manus; ſparſere & lumina flammis,
Queis olim accenſus rutilabit bellicus ardor.
Tum qui lætitiæ motus, cum fauſta volaret
Fama per Europam tanti jam conſcia partus!
Finditur haud aliter ſiquando terra calore,
Demiſere caput calthæ, roſæ, triſte papaver:
Tum vero e cælis ſi undanti Juppiter imbre
Decidit, irriguis rivis ſata læta vireſcunt,
Emicuere roſæ, calthæ, veſcumque papaver.
Exſiliunt Nymphæ thalamo Sebethides imo:
Lætitia ingenti Sebetho praſilit cor;
Inque novos plauſus glaucum caput exſerit alveo,
Obſequia ut rivos, ſtillantem ſiſtat & urnam
Crateris ſonnis litus; fremituque canoro
Aſſenſere ſuo vicini Numina ponti,
Et Megare, Inarimeque, Euplœaque, Leucopetreque,
Et Prochyte, Neſiſque, & Olympia Mergelline

 Plau-

Plausibus insolitis assultat Pausilypi mons.
Vesvius ipse etiam cohibet sub monte furores,
Purpureis tantum collustrans astra favillis.
Parthenope primum lætas agitare choreas
Instituit, Nymphasque ciet, dehinc talia fatur.
Salve, auguste PUER, patris virentis imago:
Te nostræ petiere preces; tu meta laborum,
Exspectata venis Soboles: en LILIA per te
Radices egere novas, atque aurea fulgent.
En Flos BORBONIUS nostris jam nascitur oris,
Atque rosas violasque & odoriferos hyacinthos
Vincit odore, comis: Hyblææ murmure circum
Affunduntur apes, referunt cælestia mella.
Ah, ne tristis hiems, boreas ne sævus adurat:
Lætior assurgat, foliorum germine præstet
Ipse apium vivax, immortalesque amaranthos.
Vos, auræ, zephyrique, levi mulcete susurro;
Vos nivei Floris mox nato plaudite olores:
Umbra hac usque mihi decurrent candida fata.
Ut noscam, Natus qui sit, mihi noscere gesta
Sat Patris: haud fortes aquilæ genuere columbas;
Magnanimusque leo parili fert robore fœtus.

Regna

Regna vigent stabili ac certo fundamine nostra:
Pax diffusa viget, tranquillæ atque otia vitæ.
Salve, auguste PUER: te vocibus interruptis
Ora Palæstinæ, Jordanis flumina mæsto
Murmure te invitant, & palmas spondet Idume.
Jam nunc torva pavent furvo velamine Luna
Thracia contegitur: Scythicis sese abdere silvis
Barbariem intueor. Tu fulmine major in hostes
Irruis, & sternis telis ultoribus agmen:
Plaudite victori septem de collibus Arces.
Regnatorem Asiæ, spoliisque Orientis onustum
Excipiam redeuntem olim; statuensque triumphos,
E portu exuvias, palmas mirabor ovantes:
Litora vix capient prædas, hostesque revinctos,
Disjectosque minas, lituos, fera classica, & arma.
Sceptra tuis cedent pedibus. Sirenis ad oras
Ipse triumphali cum cinctus tempora serto
Procedes victor, quæ Patris gaudia? quænam
Gaudia Parthenopes? quænam dabit oscula Mater?
Te stringens gremio, cupidisque amplexibus hærens,
Sudorem absterget vultu. Pulcherrima lux hæc
Adveniens properet, gemma signanda lapillo.

B 2 *Armis*

Armis interea Patris, galeaque comanti
Lude, PUER: praecox olim tibi Martius ignis;
Magnanimusque animus primis splendescat ab annis.
Infantis nati Genitoris dextera nectat
Tempora; & incipiant late florescere lauro.
Nec minus eveniant pacis decora inclyta ab arce,
Qua Pater, Italiæ dum Mars circumtonat oras,
Ægide me propria firmat, tutatur, & auget,
Ægide, qua Pietas, Virtus, qua Fama refulget.
Assensere Deo Vates Sirenis alumni:
Et caput attollens tumulo de rupe propinqua
VIRGILIUS cupit ecce iterum canere Arma virumque;
Magniloquo ipse novum Æaciden canit ordine æstro
STATIUS, atque agitat plectrum, SINCERE, tubamque:
Hetruscis numeris TORQUATUS dicere signa,
Bella Ducemque parat, Solymamque per arma receptam.
Nymphæ interea immixti fuso agmine plaudunt;
Tritonesque leves permulcent cærula concha:
Et nati resonant nomenque decusque PHILIPPI
Urbs, colles, litus, Crateris Numina, Vates.
Tum populi exundant fluctu strata ampla viarum,
Ferventique ardet studio tum quisque videndi

IN-

INFANTEM, atque animum spe dulcis pascit amoris.
Exspectata dies tandem felicibus auris
Oceano exoritur, qua Rex, Regina videndum
Exhibeant, faustum JANVARI ut Nomen adorent,
Numen & auspicium, spumanti in Sanguine fervens;
Vindice quo, Siren iratos despicit ignes,
Lethiferamque luem, & fluitantia bella per Alpes,
Sanguineoque Padus quas horret gurgite pugnas:
Cujus ab auspiciis nostras moderatur habenas
BORBONIDÛM sanguis, Natique in imagine splendet.
Protinus ecce vias complent, repetuntque, meantque
Visura optatam pompam densa agmina: ad astra
It clamor sonitusque virûm, cum REGIUS INFANS
Advenit; & Mater primum & Pater inclytus aureo
Procedunt curru: mox INFANS pulcher inibat.
Cristati gradiuntur equi niveique renident,
Spumantesque aurum mandunt; Dominoque superbi,
Crura agiles alterna movent, capita ardua tollunt.
Jam PUERI rutilabat honos, nativaque frontis
Majestas, glaucique ardebant iride pulchra,
Fronte oculi, ægisona ceu quondam fronte Minervæ;
Cum vaga lætitia sonuerunt compita plausu;

IN-

INFANS vivat io, spes optatissima vivat;
Vocibus una omnes fremuere, & murmure ovanti.
Quid vero hic memorem, quæ circumfusa corona
Stet Procerum curru invecta & prædivite cultu?
Quid memorem, quæ prona ruens plebs incubet auro?
Dives enim antevolat felici Copia cursu,
Missilibus populi cumulans solatia donis:
Insequitur currum plausus: captiva trahuntur
Corda, triumphalis præda & spectacula pompæ.
Pompa inter plausus, & publica gaudia in Ædem
Procedit, donec supplex advolvitur aris.
Ecce autem nova lux oculis effulsit: ab axe
Cernitur æthereo rutilans descendere nubes;
Collucentque auræ, splendent laquearia tecti,
Insolitis visum radiis effervere Templum.
Tum stipante choro Aligerûm, properavit olympo
MARTYR, sidereo perfundens lumine tectum.
Excipit aure preces; & spondens numen amicum,
Annuit; atque refert faustum poscentibus omen:
Sanguinis auspicio magnæ dat semina mentis,
Atque animos PUERI rebus majoribus aptat,
Sollicitasque suâ spes præsens numine firmat:

Ceu

Ceu cum sol cælo jubar explicat, ilicet umbræ
Diffugiunt, latebris timidæ glomerantur opacis.
Ut rata vota; polo volitans sese arduus infert,
Labitur interea totam formosa per urbem
Lætitia, ex auro nitidos redimita capillos:
Ora color roseus decorat: micat ille genarum
Splendor, & ambrosio late loca complet odore:
Pandit iter, quacumque volat, levis aura favoni,
Et Charites mollesque Joci comitantur euntem.
Hæc populorum animos felici concitat æstu;
Intima pervadit, cupidas agit igne medullas.
Lætitiæ ast motus varii: trahit illa colores,
Ceu dispar singulis, variæ stant pectore fibræ:
Curarum atra cohors repetit stygio antra volatu.
Turribus acreis mox intremuere fragore
Æra: repercussus sonitus se fundit in auras.
Mœnia collucent: imitantur sidera flammæ.
Quin, velut orta dies, collustrat compita lumen,
Discutit atque atras refluo fulgore tenebras;
Exsiliunt radiorum imbres, & lumina vibrant:
Auroram ut quondam boreali ardescere cælo
Vidimus, adversa Tithonis luce coruscam.

Flam-

Flammæ oculos fallunt, variisque coloribus ardent:
Nam ferrugineos imitantur sæpe hyacinthos,
Nunc & chrysolitos flavos, viridesque smaragdos,
Nunc simulant rubros flammante colore pyropos:
Lumina carmen habent; reddunt hæc carmina: VIVAT
CAROLUS ÆTERNUM, VIVAT VALBURGA,
PHILIPPUS.
Tum versis scenis tolluntur vela theatro,
Concentusque hilares resonant, citharæque lyræque,
Et blanda attonitas mulcent modulamina mentes.
Vox cantum flectit, gravis immiscetur acutæ;
Et salit, & recidit, tremuloque immurmurat ore.
Regali somnum jam carpit Olympias (1) *aula;*
Pellæum & Puerum paritura, nitescere luce
Conspicit axe facem, domito quæ splendeat orbi:
Omina fausta canunt, fatorum arcana recludunt
Numina, dum mater cernit discedere cælum,
Sic in BORBONIDÆ proludunt somnia palmas,
Quas referet victor, cum man adoleverit annis.
Verum

(1) Melicum Drama, magno apparatu ob Nativitatem Serenissimi Regalis utriusque Siciliæ PRINCIPIS Neapoli exhibitum, inscribebatur *Il SOGNO DI OLIMPIA*.

Verum alia ex uno surgunt spectacla theatro,
Vertitur inque aulam cavea ludentis imago:
Aula patet, fulvoque omnis despumat in aura,
Et crispata auri variant aulæa nitorem.
Lux tremula hinc volitat circum latera omnia: fulgent
Lampodes, & radios crystalla adversa reflectunt.
Protinus auditi sonitus: mollesque choreas,
Quos agiles reddit, quos ornat floribus ætas
Saltibus exercent juvenes nitidæque puellæ:
Alternos repetunt motus, vestigia plantis
Alternis quatiunt, & motu brachia nectunt;
Fluctuant, & resluit, volat ars, se librat in altum:
Ridens plaudit Amor, dulcem ossibus implicat ignem.
Non hæc Lætitiæ meta est, sed præpete penna
Fertur, agit ludens diverso pectora motu.
Regia qua portis incumbunt Tecta columnis,
Et sculptum ostentant sublimis frontis honorem
Partibus magnis, vasto patet area (1) tractu,
Quæ teritur ludis, rapidisque est apta quadrigis,
Atque salutantum resluâ circumfluit undâ:
Hic saliunt fontes, stat vertice Jupiter ingens,

 Altior

(1) Area, quæ ante Regias Ædes explicatur.

Altior assurgens vasta sub mole gigantis.
Magna hic in plausus speciem se Machina tollit,
Aeriamque refert picto molimine turrim:
Ars circum flectitque arcus, collemque virentem
Appingit, vitreasque undas atque aurea tempe.
Hic bicolor myrtus florescit, & innuba laurus:
Hic Pomona suis gaudet pubescere ramis:
Umbrosisque comis flores nectuntur, & halant
Purpureo splendore rosæ, calthæque virentes,
Narcissi, & dulci violæ ferrugine tinctæ.
Leniter assurgens crispata cacumine buxus
Flectitur in molles facili curvamine tractus,
Innectitque vias; præcingit tonsilis amplam
Planitiem, & late serpit circum undique fontes.
Et fontes ars mira novos construxerat: adstant
Najades, undisonis quæ præsunt Numina rivis;
Tritonesque leves sinuosa volumina caudæ
Innectunt: conchas inflant: puerique procaces
Adrident, frænis delphinum colla prementes:
Dispositique tubi furtiva adspergine lympha
Prosiliunt, rapido fallunt errore tacentes.
Non hos Naiadum lusus impune tulisti,

Risus

Risus Bacche dator, sed musto perlitue ora,
Tempora concutiens falvis redimita racemis,
Mitis ades, dulciqae jubes flaere omnia viao;
Permisceesque jocie & læta murmare rivos.
Hic fremit, & plena totum se prolait amne:
Ille manu panda proaus bibit: ille repleta
Vina cada sugit: siccantur dolia labris.
Ebria turba fremens ripis genialibus errat;
Stantque, labantque pedes, tardescit lingua, madet
froas.
Præda sed utilior plebem manet uadique opima.
Garrulus hinc anser, plaudentibus hinc strepit alis
Rauca gemens fidus turtur; cristasque rubentes
Arduas attollit gallas, plumisque superbit.
Huc illuc volitaat, & murmure dulce qaeruntur,
Injiciuntque avidis patula oribus ora columbæ,
Dum variis resonant avibus virgulta canoris.
Balat ovis, timide respondeat matribus agni;
Et tremulis matres repetunt vagitibus hædi.
Læta vides armeata bovum per gramina: ludant
Lactentes vitulæ: placida stat fronte juveacue.
At frutices circum pendent nova poma, coacta

Lactè nitent, variumque ferunt e lacte saporem.
Tum gemini in lusus tolluntur robore (1) *Mali,*
Et capita alta ferunt, quà vix volet acta sagittas
Verticibus celsis gyro sed circulus æquo
Flectitur, atque trabes aurata veste coronat.
Hinc mundi muliebris opes, interlita palla,
Velum, pepla, sinus, & quicquid vana reposcit
Ambitio sexus, ponit qui in divite cultu
Et dotem & precium, formam metitur amictu:
Inde viri depicta chlamys stat pensilis, & quæ
Ornamenta virum decent, nitidusque galerus;
Sed rapit ante animos pendens gravis ære crumena.
Ergo inter Proceres nitido dum fulgurat auro
CAROLUS, augustos dat cernere AMALIA vultus,
Spectatum lusus populus convenerat omnis.
Circumfusa ruit jam plebs, gestitque potiri
Prædis; atque animis oculisque exæstuat ipsis.
Atque ubi Rex jussit, ludorum & protulit alta
Regali e specula signum: tum protinus urget
Turba fremens malos circum: jamque unus & alter
Con-

(1) Lusus describitur, quem nostrates dicunt *Il Giuoco del Majo*.

Conscendunt, culmen superant, pedibusque tenent se:
Vertice mox plaudunt hilares, Regemque salutant.
Circum io resonat festiva voce: politi
Mactatis redeunt: plausus comitatur ovantes,
Et nova victorum pertentant gaudia mentes.
Vix rauci attonitas æris canor excitat aures,
Exorsêre omnes: celeri dant pectore saltus,
Impete in adversum ceu miles proruit hostem;
Seu potius rupta velut aggere turbidus amnis
Saxa per & valles, & præcipites anfractus
Irruit, undisonoque æstu stabula alta volutat,
Ab radice trahens insano vortice silvas.
Prædantumque manus late emicat: ardua prensat
Culmina: succedunt alii, nec segnius urgent:
Connixi insurgunt pedibus, manibusque repellunt
Primores, placidasque acuunt assultibus iras:
Diripiunt, retrahunt, glomerantque sine ordine prædas.
Abripit hic volucres: illi facto agmine ducunt
Lecta boum capita; evellunt hi matre bidentes:
Subripit hic hædos; congestis undique saccis
Injiciunt prædas alii, & sub pectore condunt:
Sic subitas prædæ, insidias molitur ab alto

Post

Post varias tecnas, post vafra volumina lassus
Milvus edax: rapide volat improvisus; & omnes
Imbelles rapit insatiabilis ore columbas.
Murmure tum rauca collis latus omne remugit,
Lætaque festivo miscetur pompa tumultu;
Semotæ sonuere procul tum plausibus undæ,
Reddidit & plausus geminatis vocibus echo.
Orta polum interea furvis diverberat alis,
Cedentemque diem Tyrrheno præcipitat nox;
Invitant spectacla novo cum lumine plausu.
Excita non tanto rutilabat Græcia fastu,
Dum rogo currebat properantes compita cædæ.
Ignis, qui rabido flammarum turbine flagrans
Infremit, & vasto contorquet vortice nubes;
Ignis nunc rauca tonitrus sub murmure strident;
Fulminis ardentis rapiens nunc impete turres,
Sævitiem ingenitam, rabidas & comprimit iras,
Festivumque refert sonitum lactisque nitorem
Purpureæ, & pulchro exhilarat fulgore tuentes.
Qua nova Parthenope surgunt tutamina ab Arce;
Æquor (1), *ubi vulgo jocularia mira cientur,*
Pan-

(1) Largo del Castel nuovo.

Ponditur, innocua Templum construxerat arte
Mulciber, at flamma ac tonitru spectacla referret;
At sinit ingentis Templi sibi vindicet aras
Vix nata sistens PUERO Victoria *(1) palmas.*
Nec mora, dum tremulo strepuerunt tympano pulsa,
Ilicet exstractam Templum micat ignibus omne;
Ludunt perque altas incendia blanda columnas;
Accipiunt varios rutilanti luce colores,
Et mediis tenebris sinuatam conspicis Irim.
Hinc & purpurei vertunt se turbinis instar
Flammæ, rauca tonant alterno murmure bombi.
Effundit refluos nunc ignis fonte favillas,
Ardentesque trahit resono cum turbine rivos:
Fulgura nunc pyrii vi pulveris acta volatu
Undique diffugiunt, tortoque volumine caudæ
Concita, flagrantes imitantur sæpe cometas;
Sidera mox reddunt: repetit rursum æthera pennis
Icarus impatiens, at lapsu mox ruit altos:
Accensos lux igne globos atque aurea salis
Ora refert Indeat, variisque coloribus errat,
Picta Medusæis appareat ora capillis,

Flam-

(1) Pyrotechnicus ludus Templum Victoriæ sacrum referebat.

Flamma plicatilibus serpit vulcania spiris;
Ac veluti immensos squamis crepitantibus orbes
Contrahit elatus serpens; nunc surgit in iras;
Sibila nunc torquens, linguis micat ore trisulcis.
Fulgura non aliter cælo contorta sereno
Erumpunt; luctata diu sub nube relinquunt
Sulphureos animos, tonitrus quos excipit ingens.
Prothea sic ludens fingit Vulcanus, & ora
Mille impune trahit; roseosque in vertice lusus
Dum miscet, festis testatur gaudia flammis.
Macte, auguste PUER, nostri spes candida, tecum
Augetur, rutilatque tuis virtutibus ætas:
Gaudia nunc nobis, olim dabis ipse triumphos.
Spem Patriæ vinces primis velocior annis;
Magnorumque etiam superabis vota Parentum.
Tunc, si fata velint, & spiritus hos reget artus,
Inclyta gesta canam generoso carminis œstro
Ipse tuo, effusos hostes palmasque receptas.
Magnum opus; at numeri magno conamine splendent;
Si tuba deficiet, pulchro tamen excidet ausu.
Interea parvum facilis ne despice munus,
Quod tibi, dum rauco non infremit aula Senatu,

Altae

Altus amor, parvaque tuba tibi murmura sistant.
Si, postquam studiis mihi fracta impalluit ætas,
Nostra per obscuras agitantur fata procellas,
Si blandita mihi numquam fors improba fulsit,
Sors dira, omnipotens, magnum & memorabile nomen;
Obsequia haud cedam: sint dona exilia lauri:
Ipsi etiam Divi nostræ nil sortis egentes
Respiciunt animos, non parvi turis honorem.

F I N I S